LIBERTATIS QVIRITANTIS AD GERMANIAM VALEDICTIO.

NAm quid hoc infortunii eſt, GERMANI? periimus; niſi perimus. at, ſi cadendum eſt; probè cadendũ eſt. Occupate malum; aut malum vos occupabit. Nil proficitur patientiâ; quàm ut quaſi de facili hæc tolerantibus intolerabiliora imperētur. Vitando bellum, bellum alitur: &, dum otium etiã ſinè dignitate retinere malumus, utrumq; amittimus. Porrò, Germani, ſtantes moriamur ſaltèm; & nõ inulti. Vna ſalus toties deceptis fuerit, nullam ſperare ſalutem. Pace fruetur, quiſquis pacis amore non nimio delibutus erit. Quàm indigna pertuleris, paſſaq; fueris, Germania, olim ab illâ veteri orbis prædatrice Româ; quantâ induſtriâ continuos ipſius impetus ſuſtinueris; quantâ fortitudine progreſſus immanes repreſſeris; quantâ tandem ipſos conatus felicitate ſuppreſſeris; deniq; ſpes dominari cupientis præcideris; omnis paſſim hiſtoriarum antiquitas prodit. Quid hodiè? quid? in pueros notum eſt, quid machinetur nova iſta, à tuis nuper glorioſis

Majoribus refocillata, defenſa, reſtaurata. Hem ingratam! In te denuò convertitur; nec in te ſolùm: orbis terrarum latrocinium inſana publicè exercet. Exercet autem per potentem Hiſpanicę ambitionis impotentiam: exercet per iniquas Bavari avari ſordes, nec ſanguini cognato parcentis; imò per te ipſam, & inconſideratas, intempeſtivas, veſanas civium tuorum diſſenſiones. Tandem hæc animadvertis? quid dicere muſſas? Video, quid ſit: habes; peractum eſt: nec mala, nec bona tua ampliùs agnoſcis; aut, ſi agnoſcis, (quod pejus eſt) neutris uteris. Vides incendium; vides ruinas: certo certius excidium cogita; niſi præproperè occurras ingraveſcenti malo. Iam Rhenus ſub jugo ipsâ triſtitiâ turbidus fluit, indè uſque à fontibus ſuis (devictâ turpiter & ad nihilum penè redactâ Rhætiâ) inſuetum degeneris ſervitii dedecus, ſuperbũ Romani Concilii ſucceſſum, ſecundùm utramque ripam deſcendere unà ſecum cernens; quaſi ſponſione factâ, uter citiùs Oceanum attigerit. Iam omnibus viribus imminet fortiſſimorum, & olim, & hodie, incolarum tuorum Belgarũ cervicibus; per horũ exitium, credo, ipſos æquoris fluctus, exemplo victorum omnium, Majorum verò ſuorum more, trajectura; gentium demùm ſervitutem, & terrarum ſolitudinem, pacem appellatura: ſicut jam-dum rapinas orbis, dominandiq; libidinẽ, fidei & Eccleſiæ incrementũ vocare ſatagit. Nec aliter ſanè fieri poteſt; ubi, qui ſe invicem tueri

debe-

deberent, ſe invicem delent; & ubi ſinguli pugnant: quàm ut univerſi tandem vincantur. Neq; una natio totius Orbis ſervitio depellendo par eſt. Quid optima ſoror tua, Francia: dum in propria viſcera ſævit; dum mutuis cædibus intendit; inſidias ſibi circumcircà locatas nõ attendit? Capietur & ipſa; imò capitur: tardè loquor; jam & capta eſt, & undiquaque captiva tenetur: eóque ſubtiliori arctiorive cuſtodiâ; quò minùs hanc ſentit bona Fœmina. De reliquis, quid dicam? Si qui ſunt penes te reliqui, à tantâ labe quidẽ intacti; ſed vereor ut incorrupti: quippe ſimplicitate, aut oſcitantiâ, vel ſupinâ ſecuritate, te ſeq; prodentes, id unicè ſtudent: ut ſanguinem ſuum externæ dominationi commodẽt; hoſti ſeſe communi præ cæteris probent; & fercula tandem hujus inſatiabili palato gratiſſima ſaginentur: hoc gratitudinis, vel ſimultatis potiùs hoſticæ, munus habituri; ut non niſi ultimi omnium, cum bono otio, devorentur: mortalium omnium ſtupidiſſimi, qui piſcinas ſuas, me ſublatâ, te deperditâ, ſalvas fore ſibi perſuadent; & infidas invidorum gratias, contra præſentem vicinorum fratrumque perniciem, ac futura ſua pericula, mercantur. Gravioribus hi meritò reſervantur: ſicut tardiores in me tuendâ, in patriâ juvandâ; ita ſenſim ac ſine ſenſu, occulto ævo, lentis flammis torrendi. Quid enim tàm numeroſo & otioſo milite nutriendo, quàm ſuas ipſorum vires enervant? nempe, ut tantò excuſatiùs, defenſione ſui o-

miſsâ, mox ſine negotio, ſine vi & ſanguine, in hoſtiũ poteſtatem migrent; nec triſte Haidelbergenſium fatum experiãtur! Vos autem denuò decipiendi tranſigite: nec volentibus injuriam factam queri poteritis. Carnium teſtudinis, aut nihil omninò guſtandum; aut comedendum eſt multum. Sic cum iſtis, aut nihil paciſcendum; aut, ſi duraturâ fide paciſci vultis; omnia, quæ cupiunt, facienda. Ferrum, ut-ut nitidum, rubedo ſemper repetit. Reconciliati hoſtes nunquam ſincero amore coaleſcunt. Non reſtinguuntur ignes, qui differuntur, vel cinere ſopiuntur. cùm minimè putabitis, flamma reſurget, imparatos oppreſſura. Quare, ſi tanti pax eſt; morem iſtis gerite: ſummum rerum judicium ipſis deberi; vobis obſequii gloriam relictam, teſtemini: in partes Hiſpanorum tranſite, cœlorum electione (ſi Diis placet) excitatas, ad ſeparata Mundi imperia congreganda. Sic pacem, ſic quietem, ſed irrequietam, habituri eſtis; nec vel ideò ſecuri. Veſtra enim, non vos, illi cupiunt: quos toto Mundo, non dico exulare; ſed prorſus abeſſe, ſatius ipſis eſt. Gallo certè pronuper, eodem conſilio, eâdem moderatione, pacem redemturo & amicitiam, tantum abeſt, ut extortam reſtituerint Navarram; ut vitam inſuper ademerint. Convenite igitur; committite legatos; ſolenniter compromittite; magnâ pompâ, ſplendidis nugis tranſigite; tractate, h. e. manu quaſi contrectate, tot fraudum, non niſi continuatis fraudibus pallian-

lian-

liandarum, efficaciam, ipſo ſeſe ſucceſſu clarantem: tamen decipiemini; tamen cæcutietis. Nam quid tàm extremis & periculoſis documentis opus eſt? Quid verba proficiant, ubi res loquitur? ubi dictis-conventis, poſt tam obſtinatam perpetuæ intentionis contentionem, ipſa facta obloquuntur? O` animalium omnium irrationaliſſimum, hominem, brutorumq; ſtolidiſſimum! qui, dum cavet, nec cavet; dum timet, perit: perſpectas hoſtium inſidias, clauſis oculis connivēdo, ſeſe, velut perdix aut ſtruthio, vitare poſſe credens. Ad eundem ſemper ſcopulum impingit. Infantes, flammæ ſplendore capti, ejus verò igne digitos aduſti, manus retrahunt; nunquam ampliùs admovént.

Qui ſemel eſt læſus fallaci piſcis ab hamo,
Omnibus unca cibis æra ſubeſſe putat.

Vos legibus (ſcilicet) acturi éſtis cum hominibus armatis, exlegibus; vi, non ratione ductis; abſolutam poteſtatis plenitudinem crepantibus; quocunq; tandē precio imperaturis; atq; ob id-ipſum leges patrias dudum extorres conſtituentibus? An neſcitis, ſummā eſſe religionē; per quam, & propter quam, omne jus, fas, humanum, divinum, hactenus iſtis miſcere, confundere, violare, licet, libet? Vos interim deliberatis; deliberando peſſum ituri; conſuetas moras nectitis; ad ineptias veſtras recurritis; Patres cōſcriptos (dudum ipſi Romæ proſcripti) totumq; populum, nullo planè exitu, ſententiam rogatis, quid agendum? an Orbis

incendio eundum ſit obviam? Hæc ipſa rogatio maximam in ſe continet judicii, conſilii inopiam; ipſa dubitatio, ipſa exſpectatio, ſummā injuriam. Oſtendit enim, vos vix velle; quod, an alii velint, tam operoſè quæritis. Non eſt diſputandi locus; cùm agendi tempus inſtat. Dum lento conſulendi tepore vos veſtraq; conſumitis: vividus vigilantiſſimorum adverſariorum ardor pergendo ſerpit; ſerpendo improvidis inſultat: nudos ac inermes eò uſque anguſtiarum redacturus; unde nuſquam regrediendi erit copia. Ecce fructum plusquàm Dædalearum æterni conſilii ambagum! Et quò uſque lues, Germania, quidquid aut Galliæ juventus præcipitat; aut Angliæ ſenium moratur? Mihi crede, non te quęſiveris extrá. Tecum habita. Nemo tibi deerit; modò ipſa tibi non deſis. Tecum enim habes, quod erigere labantem poſſit: ſi modò ſcias, imò velis uti; nec malis, vētilatoriè potiùs, quàm decretoriè, cum hoſtibus agere, aut vires & arma tua in ſpeciem ſinè uſu poſſidere: velut iners mercator, aut avarus aliquis Euclio, otioſis domi pecuniis, nō ſolùm nihil lucraturis, ſed brevì fortè furibus ceſſuris, incubat; uterque tandem pauper ac fame moriturus. Sicut Germanos ſemper exteri per Germanos debellarunt: ita Germania non niſi ab ipsâ Germaniâ debet juvari; commodiùs non poteſt. Ad inteſtinam luem curandam longinqua remedia accerſere, longū eſt, periculoſum eſt, incertum eſt; addo, ſumtuoſum, & utplurimùm

mùm

mùm infidum eſt. Medicina talis aliquando gravior ipſo morbo fuit. Nec externa prodeſſe norunt, domeſtica & ad manum poſita negligentibus. Aeger ipſe ſe obſervet; ſuos niſus, ſuam curã, naturamq; adhibeat. Et apud pueros ludibrio eſt, qui flagrantibus ſuis ædibus aquas priùs affundere detrectat; quàm civitas adcurrat. Quare, ſi ſapere tandẽ, poſt tot ictus, Germani, vultis; ultimùm vos moneo: DEUM, cui liberas conſcientias, cui nihil minùs quàm ſerviles & alienæ perfidiæ addictas animas; PATRIAM, cui liberos, à me nominis hujus honorẽ deducentes; LIBEROS, quibus Patriam illibatam & immaculatã debetis; deniq; VOS-IPSOS, & CONJUGES VESTRAS, ſeriò cogitetis. ſin, & ego vos onero, vel impedio, quò minùs hoſtibus propitiis, quò minùs egregiis ſubjectionis præmiis, eximiis mancipiorum juribus ac privilegiis fruamini; libens verò deceſſero: vos autem abſentem ſerò deplorabitis; fruſtraq; revocabitis, quam præſentem incuriâ deſidiâq; perdidiſtis: veſtra bona tùm demùm intellecturi; cùm, quæ habuiſtis, amiſeritis. Equidem conteſtor, me nuſquam majori in veneratione fuiſſe, nullibi diutiùs divertiſſe; quàm apud laudatiſſimos Parentes, & inimicorum quoq; præconiis onuſtos Majores veſtros: apud quos & pueri, & ipſe ſexus imbellis, vitam pro me, parvi; mortem magni, fecerunt. DEUS & Libertas non deſerunt, niſi ſe deſerentes. Vos verò pergite, Populi, pergite adulari

hoſti-

hoſtibus veſtris; dormire vitiis externis, luxui, mo
liciei, libidini, voluptati, perfidiæ, cupiditatibus, pe
jurijs, proditionibus. Nihil mihi & his eſſe pote
munitiſſimæ cujusque urbis, florentiſſimi cujusq
regni everſoribus; quæ ſolius virtutis contubern
aſſuevi. Et cùm vos huic repudium miſeritis; ip
quoq; vobis valedico. Faciliùs mihi populus, quà
vobis libertas, reperietur. Interim, ut tantò impenſi
veſtris hoſtibus placeatis; ne quid veſtri ſuperſit, ſtr
nuam operam navate: & quoniam libertatem c
mittitis; nec liberos ſub Tyrannis deinceps victur
gignite; aut genitos, quoniam non erunt, quod a
diunt, ſtatim ipſi jugulate: ut & hoſtes hoc labore
vetis; & non ſint, qui vos Majoribus veſtris indign
exſecrentur. Beneficium non datur invitis: dupli
citer occídit, qui perire-volentes ſervare cu-
pit. Sic itaque, quod recuſatis, nec
valere vos jubeo.

F. I N I S.

93 952534